DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTAGIOSA CRIFANA,

ANNIS MDCCCXVII ET MDCCXVIII

SAEVIENTE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE CONTAGIOSA CRIFANA,
ANNIS MDCCCXVII ET MDCCCXVIII
SAEVIENTE;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS TAYLOR,
Scotus,
CHIRURGUS,

Dum spirat homo lethale sibi aliisque spirantibus venenum fundit.
GREG. *Conspect.*

Post ignem aetheria domo
Subductum,——nova febrium
Terris incubuit cohors. HOR.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO
APUD ABERNETHY & WALKER.

1819.

VIRO CLARISSIMO,

DAVIDI BAIRD, EQUITI,

DE YARDLEY ET BURY,

IN AGRO HARTFORDIENSI,

NECNON

DE FERNTOWER,

IN AGRO PERTHENSI, BARONETTO;

ORDINIS BALNEI HONORATISSIMI EQUITI,

LEGIONIS BRITANNICAE MILITARIS XXIV PRAEFECTO,

&c. &c.

QUI NOMEN SUUM ET PATRIAM GLORIA EXORNAVIT,

ILLUSTRIUMQUE HEROUM ET IMPERATORUM

MOORII ET VELLINGTONII SOCIUS,

DIU BENE ET FORTITER PUGNAVIT;

NEC MINUS VIRTUTIBUS,

QUAE GENUS HUMANUM DECORANT,

ENITET;

HOC OPUSCULUM,

SUMMA REVERENTIA,

DEDICAT

AUCTOR.

NECNON,

PATRI CARISSIMO,

ET

AMICO OPTIMO,

JACOBO TAYLOR,

CURAE VERE PATERNAE,

QUA PRIMAM AETATEM INDULGENTER FOVIT,

ET

INDEFESSI LABORIS,

QUO ANIMUM BONIS MORIBUS INSTRUXIT,

NECNON

A TENERIS ANNIS AD HONESTA RECTAQUE INCITAVIT,

MEMOR;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA PIETATE,

CONSECRAT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTAGIOSA CRIFANA

ANNIS MDCCCXVII ET MDCCCXVIII

SAEVIENTE.

PRAEFANDA.

CUPIDUS, summos honores artis medicae, in hac Academia celeberrima, obtinendi, quum, secundum ejus leges, aliqua de re dissertationem proferre, opus est; multis de causis Febrem Continuam argumento hujus disputationis omnibus aliis anteposui; non modo quod nuper per civitates multas Britanniae et Hiberniae est maxime vulgata, sed quod egomet occasionem habui complures visendi affectos, Doctoribus

Lindsay et Maxton curatos, paucos quoque, me solo praesente et adjuvante. Febrem igitur describere volo, quae Crifae et in locis propinquis nuper grassabatur, et medendi rationem felicissimam proponere.

Signa, in hac febre mox enumeranda, ab ortu ad eam extinctam sunt notata; sed variis rebus varie modificata sunt. Diversa erat species, seu adventum sive profectionem spectemus, ob causas varias eam procreantes; habitum corporis proprium aegrotorum; et multo magis ob medendi rationem adhibitam antequam medici auxilio venerint. Omnes conclavibus calefactis occlusi, aut aëre impuro, ingenti hominum turba inquinato, aut qui liquoribus ardentibus aut excitantibus usi sunt, acrius afficiebantur, multo et tardius convalescebant; quam hospitia qui incolebant refrigerata et regimen perfrigidum adhibebant. Haec febris tempore hiberno latius fuerat grassata, et revertente aestate videbatur languescere; quamobrem contagium calore minus productum esse putetur; cubicula, tamen, ea tempestate minus perflatui objecta mihi videntur causa esse; ne foramine quidem

parvulo patefacto, quo excludatur frigus; quanti vero intersit perflatu idoneo conclavia purgare, satis constat.

DE SIGNIS.

Quoniam febris, priusquam medici auxilio veniant, saepe inveterascit, ita prima signa et speciem morbi priorem tempestive investigare non mihi licebat; sed ab iis, quos ipse curaveram, et multorum febrientium testimonio, cognovi, febrem incipientem frigoris sensu, magno faciei pallore, constrictione corporis externa, plus minusve ad horrorem nonnunquam aucta, semper stipari; unde aegri frigoris impatientes fiunt, et credunt frigus malorum unicam esse causam. Praeter haec, aegri molestiam et valetudinem perturbatam querebantur; at claro sermone mala sua depingere non poterant. Vires animi et corporis languebant. Pigebat aegros moveri, et negotia vel levissima subire. He-

betes oculi et languidi, et oscitatio frequens. Dolor dorsum semper et lumbos, aliquando crura, quasi contusis ossibus, et caput male habuit. Lassitudo universa opprimebat. Sensus circum praecordium hebes cum suspiriis raris. Respiratio aliquanto crebrior; pulsus quoque debilior erat et paulo frequentior. Humida erat lingua et muco obducta. Vomitus non infrequens, et cibusvel oculis objectus nauseam ciebat. Tempore brevi, invicem frigoris erat et caloris sensus; sed horrores tandem caloris sensus consecutus est, primo in superiore corporis parte, deinde per totum differebatur, quando signa febris incitatae omnia exacerbantur. Dolores capitis, dorsi et lumborum, nonnunquam subsultu arteriarum temporalium et caroticarum, et tinnitu aurium augescebant, cum angore et gravitatis sensu circa praecordia. Plerisque dolores regionem ventriculi torquebant, manu premente aucti; simul respiratione difficili et nonnunquam quadam tussi crebra. Nausea et vomitus urgebant, aegro ferme omnia ingesta evomente; posteaque multum bilis non raro ejiciebatur. Nunc quoque pulsus frequentior erat et validior. Lingua aren-

te, sitis urgebat. Aeger nunc motus erat impatiens, corporis animique laboris: vires mentis, et functiones animales languebant, adeo ut colloqui familiaribus molestissimum esset: strepitus porro et lucis aegri impatientes erant; et fere noctu vigilabant; quod si quando dormiebant, non inde reficiebantur, et experrecti se somno fructos esse negabant.

Hic status circiter hebdomadam perseverare solebat; vesperi febris exacerbari videbatur, et mane manifeste levari; ita ut febriens saepe speraret se morbo penitus solutum, nisi quod adhuc perstabat cibi fastidium.

Signa eadem prope violentia redintegrata fuisse per paucos dies febris ineuntis, plerumque evenit; postea, nisi medicina tempestiva progressui febris obstiterit, speciem typhi sibi induere solebat, accessione et remissione tam obscuris, ut illa diutius perstante, haec vix percipienda esset. Nunc cujusvis ferme nisus aeger incapax erat: in latus utrumvis jacere erat difficile, et conatus est resupinus cubare; quo tempore, si medicus eum visat, facile intelligit febrem jam inveteratam fuisse. Quanto fit aeger debilior, tan-

to magis cerebri actio perturbari solet, et in paucis eo ut delirium accedat. Irritabilior quoque vesperi fiebat; et interrogatus, voce expedita, nec raro tarde et invitus respondebat, perinde quasi neminem adesse existimaret. Quum erectus sedere conatus est, anima defectura videbatur, et vertigo accedebat. Lingua, quae initio sorde tenui et alba tantum fuerat obducta, nunc magis livet; demum fusca, foedissima, et fissa esse conspicitur; quibus aeger tam vehementer cruciabatur, ut non sine molestia summa et difficillime linguam extruderet. Vix, nec citra dolorem vorabat; dentes etiam et pars oris interior pari ratione signa praeclara ediderunt morbidae secretionis. Languidior fit vox. Summa cutis minus incalescit, quam ubi febris exarderet per dies febris primos; sed calor penetrans frequentissime ab auctoribus commemoratus saepe erat percipiendus. Alvus torpet, et, nisi medicamenta purgantia adhibeantur, stercora nigrescunt. Vultus dejectior videtur; respiratio quoque debilior, necnon laboriosa: paucis in exemplis, alvo astrictae tympanites accedebat.

Unus, quem morbo provectiore vidi, valde erat

solicitus et inquietus sine causa evidente ; saepe lectu exire conabatur.

In multis quoque tam irritabilis erat ventriculus, ut si liquoris minimum labiis offerretur, vomitu citissime ejiceretur, et aliis sitis erat vix restinguenda.

Perpauci surdi erant ; quod tamen signum rarius eveniebat.

Nonnunquam aeger continenter voce querula ejulabat, sine idonea causa evidente ; postea vero, causa acrius inquisita, patebat cuticulam iis partibus, quas lectus presserat, situ nempe cubantis non mutato, abrasam fuisse.

In uno adolescentulo, quem non nisi paulo ante mortem videbamus, cum cognati conatibus inanibus et medicamentis frustra prius adhibitis, demum medicum adesse voluerunt, ne ipsi aegrum occidisse viderentur, nisi revalesceret ; vultus erat magnopere collapsus, qualem faciem Hippocraticam medici vocare solent. Exilissimus erat pulsus, facile comprimendus, respiratio laboriosa, anhelitus foetebat, corpus gelido sudore diffluebat, artus frigebant, et unus artuum genu tenus lividus erat.

DE FEBRIS EVENTIBUS.

1*mo*, *De diebus judicatoriis.*—Dies judicatorii, tametsi vani et saepe absurdi quibusdam apparuerunt, mea tamen sententia, nequaquam sunt despiciendi; compluribus enim in casibus ob incuriam aut falsam opinionem neglecti sunt. Hae opiniones mea observatione sola non sunt adductae, sed a multis aliis, quibus maxime confido, sunt confirmatae.

Frequenter die decimo quarto terminari febris distincte est notata; et hic criticus erat dies, quo frequentissime desinebat; nonnunquam etiam die undecimo.

Si ultra duas durabat hebdomadas, ad tertium plerumque percurrebat, signis autem vix exacerbatis; et in his exemplis aegri multo tardius revalescebant, quam si febris citius exiverit. Hi tamen motus *critici* saepenumero vix erant notati, partim remediis, dum duraret febris, poten-

tibus adhibitis; partim quod diem, quo iniit febris, difficile erat ediscere.

2do, *De exinanitionibus criticis.*—Sudor sine dubio exinanitio erat evidentissima, et satis frequens, adeo ut, si quo dierum *criticorum* febris decederet, plerumque occurrebat; etiamque caeteris compluribus in exemplis, ubi dies critici nulli erant notabiles, signorum tamen remissio, quae sanitatem reducem indicabat, leni cutis madore saepe comitata est. Nisi tamen sudori aliae notae felices accedant, ei per se minime fidendum, neque in his, sine gravi saepe periculo, debet excitari; frequentissime enim indicium est prorsus lethale, ut in Ephemera Britannica, cui sudor tam frequens erat signum et fere praecipuum, ut sudor appellatus est Anglicus, vel sermone vernaculo "Sweating Sickness."

Diarrhoea haud infrequenter torquebat, sed minus vehemens, eo quod medicamenta alvi purgantia per febrem liberrime essent adhibita. Uni tamen puerulo valde erat manifesta, qui, auxilio medicinae frustra adhibito, et medicamentis aegre ingestis, brevi tempore, superve-

niente diarrhoea, ad salutem sponte protinus redibat.

Vomitus quibusdam *criticus* erat, primis tantum morbi diebus, seu sponte sua sive arte inductus.

Caeteris de evacuationibus auctoribus saepe memoratis, quum mihi nunquam contigit eas inspicere, nil dicere possum. Hae tamen omnes potius terminationem febris consequi, quam afferre videntur; scilicet, remissionem universam et *spasmum* vasorum extimorum resolutum indicant; quod tunc temporis augentur caeterae excretiones secretionesque eadem causa evidenter oriundae, qua salivae secretio etiamque succi gastrici, redeunte cibi appetitu, indicati.

Postquam supervenit crisis, omnia indicia mala sensim mitescebant, viribus tamen resolutis, quae tamen cito reficiebantur, remediis et vitae genere postea memorandis; adeo ut valetudo melior demum facta fuerit, quam ante febrem ineuntem; nimirum, fugatis capitis doloribus, et dyspepsiae notis, quae prius afflixerint.

DE CAUSIS.

Causae sunt Abditae, Excitantes et Proximae.

Causae abditae sunt, quae corpus febri magis reddunt obnoxium.

Uterque sexuum pariter febri propositae opportunus esse videtur.

Quanquam omni aetati erat communis, tamen adulti et aetate media aut ii pubescentem inter aetatem et annum quadragesimum, quam parvuli aut senes, impetui magis erant obnoxii; nulla tamen aetas prorsus immunis observatur.

Consuetudo pessima liquores ardentiores ingurgitandi, non solum proclives ad febrem reddebat, verum etiam alios morbos saepe procreabat, ut capitis dolores, dyspepsiam, &c.: hanc paucis exemplis solam febris causam, etiamque valde acerbae, conspexi.

Tenuis cibus et parcus, qui plurimis exemplis febrem reduxit, quinetiam vestimenta et summa cutis squalore foedata, sudorem insigniter sup-

primendo, potentes manifeste erant causae praedisponentes; apud pauperes enim febris maxime grassata est, dum qui rebus lautioribus fruebantur, vix erant affecti.

Dolor, animi solicitudo et vigilia, quibus sunt objecti, qui amicis aut cognatis morbo laborantibus assiderent, febris causae praedisponentes plane existebant; postremo enim debilitatem, ciborum fastidio, secretionibus imminutis et concoctione impedita, saepe intulerunt. Aeque tamen certum est, multos corporibus valde infirmis praeditos impune contagio objectos fuisse.

Causae excitantes plerumque frigus erant et contagium; sed valde suspicor, aliquas causarum abditarum febrem intulisse; quae procul dubio saepe ebrietatem secuta est.

Frigus febrem rarius opinione procreavit; contagio enim erat manifeste orta, cum aegris ipsis frigore provenisse videbatur; qui eo potius huic causae febrem tribuebant, quod horror et cupido focum adeundi febrem ineuntem insigniebant. Frigus tamen haud dubio febrem nonnunquam genuit; quaedam enim novi exempla, quibus aeger humidis vestimentis forte dormiens,

et brevi tempore somno experrectus, ineuntis febris omnibus afficiebatur indiciis, cum contagio omnino vacaret; et eadem erat species et ad profectionem et terminationem, tanquam contagio orta; hoc autem discrimine, quod omnia febris signa principio erant magis exacerbata. Hinc frigus nonnunquam febris esse causam, quanquam multis illustri nomine et claro negetur, mihi satis constat.

Contagium.—Naturâ hujus febris tabifera satis constat, eo quod complures ejusdem familiae, quanquam non omnes abditis causis obnoxii fuerant, afficiebantur, et causa, sine dubio, frequentissima fuit. Febris tamen contagiosa, usque ad hebdomadam secundam, non apparebat, fortasse quod virus pestilens non antea satis acre factum fuerat.

Haec febris Crifae et in locis vicinis multo erat levior, quam alicubi hujus insulae, quod loco acclivi posita perflatu liberiore fruitur, quo impurus oppidi aër extenuatur, et ita vis morbi contagiosa valde imminuitur.

Febris tam late vagabatur et tam acerba ob tabum pestilens in unum collectum; quo enim

magis coacervatur, eo severior fit febris inde exorta, et vice versa. Plurimis igitur exemplis, ubi ad idoneum perflatum satis animadvertebant, unus tantum aut alter afficiebatur, dum, hoc neglecto, impetu fere nulli vacabant. Hinc graviores sunt Glasguae febres quam Edinburgi, non solum quod illa inferiore loco et paludoso sita, verum etiam propter artificum multitudinem, ubi homines per totos dies sunt occlusi, id quod praedisponentes causas reddit potentiores. Edinburgum contra, quoniam loco positum est altiore et maris aura saepe recreatur, febres et morbos tabiferos mitiores habet.

Febris apud Leithenses quoque quam Edinenses gravior dicitur fuisse ; etiamque in hac urbe ipsa, ubi per loca humilia et malo aëre inquinata grassatur, multo graviora sunt indicia, quam si loca excelsiora obtineret. Quae omnia, me judice, ostendunt, quanti sit momenti perflatum liberum et purum conciliare.

Causa proxima.—Quanquam de causa febris proxima multae extiterunt sententiae variaeque, fere omnes tanquam absurdae obsoleverunt, et haec res adhuc maxima in obscuritate versatur.

Ex recentioribus est sententia viri clarissimi Culleni, secundum quam ferme omnia febris indicia a spasmo vasorum extimorum nascuntur. Licet tamen multo ingenio et argumentis variis defenditur, et quanquam multa febris phaenomena ejus ope explicantur, manca et imperfecta est; hic enim spasmus saepe resolvitur arte aut sua sponte, febre nequaquam exinde fugata. Bene enim imperitissimo notatur, sudorem saepe signum esse valde molestum; et etiamsi Cullenus fortiter contendit, sudorem medicamentis eliciendum esse, accepimus eum inter febrientes curandos minus frequenter iisdem usos fuisse; nec dubitari potest, quin experientia demum hunc clarum medicum opinionem, quam scriptis mandaverit jam propositam, dedocuerit.

DE PROGNOSI.

Haec sunt indicia redeuntis salutis, et quae plerumque benigna habentur: Evacuationes cri-

ticae nominatae, die circiter decimo quarto accedentes; lingua, quae antea sicca erat, et sorde densa foedata, rubrum per margines induens colorem, sensim dein in mediam partem, fluxu quoque comitatum salivae; sitis tam antea vehemens, facile sedabilis; lenior pulsus et lentior; leviores nausea et vomitus; appetitus cibi et dormiendi cupiditas redeuntes; alvus laxata, et stercus plus plusque coloris naturalis; urina minus parca, et superficies tenuiter humida; vultus suo proprio colore ornatus; aeger quoque in cubiculo se potens movendi prout velit; in dorso enim jacere est valde periculosum, quoniam maximam indicat debilitatem.

Quoad *prognosin* infaustam, quae de priore casu lethali supradicto enarrantur, sententia mea, satis sunt; siquidem lethales casus mihi rarissime inspicere contigit.

DE DIAGNOSI.

De diagnosi, ut puto, vix medici discrepare possunt; quanquam enim typhus febris fuit ap-

pellata quacunque grassata est, si medici per *typhum* eam intelligunt febrem, contagio genitam, et quae similiter eos impetui ejus obnoxios afficit, sine dubio recte nominatur: tamen si, per eam vocem idem, quod CULLENUS, intelligimus, nomen parum accuratum est; conjicio enim *typhum* nusquam aut rarissime existere purum. Secundum igitur accuratissimas definitiones *nosologicas*, rectius *synochus* nominaretur; quod *typhus* aut *synocha*, ut credo, raro si unquam existunt puri, sed potius febris ex utraque composita. In hac, ut ferme omnibus hujus insulae febribus, signa initio sunt *synochae*, aut quae actionem cordis et arteriarum auctam indicant; quae nisi medicina tempestive praecaveat, paulo postea in *typhi* signa labuntur. Utcunque pernotabilia sunt *typhi* indicia, ineunte morbo, semper quibusdam *synochae* indiciis comitantur, et vice versa.

Notarum *typhi* aut *synochae* praevalentia a causis hanc febrem procreantibus pendebat, quod, si frigore orta erat, synochae; si contagio, typhi signa praevalebant.

DE RATIONE MEDENDI.

PRIMO, De remediis ad febrem jam ineuntem praecidendam, disputandum.

SECUNDO, De rationibus quae, ad aegrotum per cursum febris naturalem deducendum, aut malis indiciis obviam eundem, maxime efficaces sunt.

TERTIO, De ratione praecavendi, ne febris fugata recidat.

PRIMO, Quum aegri prima febris indicia saepe neglexerunt, frigore omnino orta esse opinati, et sua sponte cito abitura ; et semper, donec tam exacerbata essent signa, ut necessarium haberetur medicinae auxilium, stulte cunctati sunt; hinc morbus plerumque multum erat provectus, antequam aegrotum nobis visere contigit aut remedium praescribere. In iis autem, quos nobis videre licebat, si in limine non averti, tamen

notae levari aliquantum possent emetico adhibito et alvo deinde expurgata.

Emeticum, cum primum ad aegri cubiculum accesserimus, plerumque adhibebatur; et si vesperascebat, pediluvium adjiciebatur, praecipue si aliquid existebat horroris; quod dolores capitis sedabat et somnum facile excitabat. Si jam nausea adesset, copiose tepida aqua diluere, tantum necessarium habebatur, ut provocaret vomitum, et ut omnia indicia infausta sedarentur. *Emeticum* adhibitum, constabat ex *Tartrate Antimonii et Pulvere C. Ipecacuanhae*, quod ventriculum reliquiis cibi incocti, aut alia sorde morbi principio ibi cumulata, satis purgavit; quibus si remanerent, omnia alia febris indicia multum intenderentur. Salutares autem eorum effectus ventriculo purgato penitus non attribui debent, quoniam aeque feliciter sedabatur febris, ubi nihil, nisi ipsum emeticum et aqua tepida evomebantur. Magis agere videtur, sanguinis fluxum ad corporis superficiem dirigendo, sudore elicito, et omnibus vasis secernentibus relaxatis; vel, secundum Gregorium praeclar. totum corpus quasi concussionem accipit,

et signa jamjam in corpore incepta perturbantur. Cum primum, post emeticum datum, cessavit vomitus, medicamentum alvo purgandae idoneum statim adhibebatur, quod ter aut quater magnam ciebat alvi dejectionem, tunc temporis enim plerumque alvus torpebat. Si per diem *emeticum* adhibebatur, paulo postea dejectionem moliebamur; si ad vesperam, ad proximam auroram differabatur. Haec, si diligenter ad victum idoneum attenditur, et statum ventriculi et alvi febris vim penitus per se fregerunt. Quanto maturius autem haec remedia in febre adhibebantur, tanto feliciores effectus erant. Ante diem quartum plerumque, etiamque paucis in exemplis apud periodum posteriorem, faustus erat exitus; et si tam feliciter non contigit, vim febris sedare satis possent.

SECUNDO, De rationibus aegroti per cursum febris naturalem deducendi. Hic, primo de remediis in febrem ardentem idoneis, et deinde de illis in typhum viribus lapsis stipatam adhibitis, dicam.

De rationibus igitur in priore gradu adhibitis,

efficacissima, et ad quam plerumque decurritur, quo minuatur morbida incitatio, est sanguinis detractio. Ad hanc tamen in febre tunc temporis grassante, raro operam intendimus ; quia multis in exemplis nobis admodum inepta videbatur, et in plerisque praetermitti facile poterat, nisi in iis, et perpaucis quidem, ubi levare dolorem capitis in tempus oporteret ; quoniam nullum stabile commodum aegroto accesserit, donec adhiberentur rationes posthac memorandae, quia haec indicia brevi reverterentur.

Ut argumentum insigne praebeam, quam ineptum sit sanguinem saepe mittere, a fautoribus acerrimis concessum est, indicia collapsus exinde citius afferri, et aegrotum tardius revalescere. In plerisque igitur exemplis, ubi emissio sanguinis defendi poterat, non nisi hirudines capiti admovendae ad sedandum dolorem acerbiorem.

De proximis remediis in hac febre adhibitis certius et majore cum fiducia dicere possum, quia in omni fere gradu febris magis minusve necessaria sunt ut in aliis morbis, et quia omnibus, quibus alvus tardior non rite medicamen-

tis purgantibus solicitata fuerit, exinde functiones aliae quam maxime perturbantur, et febris intenditur.

Purgantia large et saepius dabantur, ut bis terve alvus indies descenderet. Haec sordem acrem aut stercus durum, unde irritatio assidua oriretur, et omnia febris indicia in pejus ruerent, non de loco modo removebant, sed auctam humorum in intestina secretionem afferendo, totum corpus relaxabant, et liberum etiam sanguinis cursum per aortam descendentem concedendo, capitis dolorem levabant, et calorem per totum superficiem minuebant, pulsumque una cum haud exigua omnium indiciorum levamine, multo molliorem reddebant. His ex effectibus medicamenta purgantia iisdem utilitatibus, quibus missio sanguinis inservire videntur, citra periculum, quod id remedium secum haud raro affert.

Saepe observatum est purgantia potentissima aliquando nihil in febre valere ; interdum contra lenissimorum usum dejectionem non parvam movere. Hoc praecipue ex tempore quo adhibebantur pendere videtur, quum perspicuum

est secretiones omnes per febrilem incitationem pene supprimi; quod in secretionibus quoque intestinorum fieri aeque necesse est; ita ut purgantia hoc tempore multo minus valeant, quam per remissionem adhibita. Istud ex hac re quoque confirmatur, quod evacuatio valde libera obtineri non possit, donec febris penitus inclinata sit. Purgantia mane quam alio tempore adhibita, multo magis prodesse invenimus; effectus quoque magnopere augeri, praescripto nocte praecedente *Submuriate Hydrargyri*, una cum portionibus exiguis *Oxydi Antimonii cum Phosphate Calcis* aut *Pulveris Ipecacuanhae*. Medicamenta, quibus nos plerumque usi sumus, erant sales medii; ut *Sulphas Magnesiae, Tartras Potassae*, vel *Phosphas Sodae*, seu folia *Cassiae Sennae*, sive portionibus exiguis *Tartratis Antimonii* conjunctis; quorum Oleum Ricini subinde vice fungebatur. Eorundem portiones exiguas certis intervallis, ne ventriculo irritato, vomitus induceretur, administrabamus.

Radix *Convolvuli Jalapae* nullo modo apud nos in honore erat, ob aegritudinem magnam quam afferebat; quippe quae supra memoratis

nec efficacior, et ideo a nobis raro praecepta. *Sub-Murias Hydrargyri* raro largius concessum est quam ut dejectionem moveret, et omni alio ad removenda stercora dura praestantius videbatur. Quibusdam tamen in exemplis, cum majoribus portionibus praeceptum fuerat, insigniter omnia signa levabat.

In quibusdam, et in uno praecipue exemplo, ubi, vena incisa, sanguis prius detractus fuerat, quam accesserimus ipsi, ad dolorem capitis gravem minuendam, procul dubio sanguis missus paulisper dolorem capitis leniebat; at brevi dolor redibat, et aeger ob liberam sanguinis emissionem, macie ingenti confectus erat; tamen alvo acriori medicamento solicitata, impetratis paucis alvi dejectionibus laxioribus, et ejecto stercore accumulato, subsedit statim dolor, et aegrotus revera vires resumpsit, non perdidit. Multis igitur in exemplis, ubi sanguinem mittetere opus esse videtur, mihi liquet, alvo rite expurgata, tutius sanguinis detractionem omnino praetermitti posse.

Regimine frigido semper usi sumus. Aegroti lintea, si sordida essent, mutari statim jube-

bamus; fenestrae aperiebantur, ut quam liberrimus aurae cursus admitteretur, et, ut rem prorsus assequeremur, cubilia arcarum formam habentia, quae in illa regione tantopere usurpantur, et quae valetudini tam incommoda sunt, his praecipue febre laborantibus, confringere saepe cogebamur, quum auram admitti frigidam penitus impedirent, et ideo aegrotum suam auram minime puram vesci cogerent.

Facies, caput et manus aceto aqua commixto lavabantur, subinde quoque totum corpus; sed ob mentes aegroti cognatorum obstructas, affusionem frigidae aquae ut paterentur, vix precibus exorari potuerunt. Haec sensibus aegroti adeo grata erat, ut iterari saepe expeteret.

Hoc quoque tempore, potus frigidi aciduli benigne permissi sunt, qui cupide hauriebantur, et, ut res postulabat, variebantur; quia idem potus genus diu datum mox fastidium afferebat, ita, ut quid biberet, ipsum aegrum deligere sineremus, unde rarissime incommodum aegroto contingeret. Aqua gelida sive per se, seu commixta supertartrate potassae, acidulo necnon injec-

to pane tosto, serum lactis et cerevisia tenuis, fere gratissima erant.

Quum in hoc morbi gradu aegrotus nullum expeteret cibum, levissimus et concoctu facillimus, ut jusculum ex pane, aqua et saccharo confectum, et pulmentum, tantummodo permissus est. Perspicuum quidem est, cum succus gastricus non modo deterior fit, sed etiam pene supprimitur, concoctionem existere non posse, et ideo cibos acceptos non modo alituros esse, sed etiam ventriculum oppressuros, et omnia indicia aucturos.

Interdum in hoc gradu ventriculus ita facile irritari poterat, ut aegrotus cibum in eum acceptum statim evomerit. Huic tamen plerumque obviam itum est, adhibitis haustibus effervescentibus; et in gravioribus exemplis, vesicatorium ventri supra regionem ventriculi applicatum prosperum exitum habuit.

Medicamenta opiata hoc tempore nunquam administrata sunt.

De medendi ratione ad finem viribus graviter collapsis.

Omnia, quae irritationem afferrent, statim removebantur. Purgantia leniora nunc, ut acriora antea, necessaria erant, ad alvum rite exonerandam; quia ex actione morbida intestinorum multo plus stercoris, quam per valetudinem bonam intestino crasso subest, quod accumulatum multum incommodi afferebat; cujus rei documenta saepe observabamus, ut auctum cutis calorem, capitis dolorem, magnam anxietatem, quae ad praecordia referenda erat, gravem sitim, et, quibusdam in exemplis, alvi fluxum severum; quae omnia alvo leni medicamento solicitata levabantur: et in multis, quum alvus mota fuerat, aegrotus in levem somnum incidebat. Postremum praecipue indiciorum supradictorum usu laxantium plerumque eget, haud raro ex materia in intestinis acri accumulata originem trahens, quae secretionem auctam muci affert, ad superficiem teneram materia irritante defendendam, certe natam. Hic magnae saepe occurrerunt difficultates, aegroto ipso et cognatis usum laxantium magnopere recusantibus; quip-

pe, qui existimant sufficere diarrhoeam, et alia medicamenta debilitatem tantummodo auctura esse. Hanc tamen opinionem cito reliquerunt, quum reperissent, postquam alvus a laxantibus mota fuisset, aegrotum multo levatum esse, et vires minime lapsas esse, imo etiam potius renovatas esse.

Maxima ad munditiam cura arcte praecipiebatur, aegroti lintea quam saepissime mutabantur, alvique dejectiones omnes continuo removeri jubebantur.

Perflatus liberrimus et quae contagionem cohiberent, hoc tempore magnum praecipue commodum afferebant; quorum illud in publicis lectionibus Doctoris Gregory tam acriter ingeritur. Horum praecipua sunt gas acidum muriaticum et nitrosum, quorum illud procul dubio optimum est, et multo diutius sine ullo aegroto incommodo usurpari potest.

Aegroto nunc, cibum liberius sumere concessum est, victu tamen uti adhuc levi et concoctu facile, ut jusculo ex pane, aqua et saccharo confecto, maranta galanga, exigua vini copia et saccharo commixtis, quae admodum grata

erant: huc accedit aqua, ex qua caro bubula decocta fuit, parvis tamen portionibus, cui tamen legi non insistendum est; quoniam nimium de celeri ad pristinam valetudinem reditu soliciti saepe solent.

Omne quoque genus fructuum maturorum ingerere aegroto concessum est, ut poma, mala aurea, grossula, &c. quae mite nutrimentum non solum praebebant, sed etiam alvum quodammodo laxam retinebant, et laxantia minus necessaria reddebant.

Haustus optimi erant serum lactis, aqua pane tosto injecto, et subinde vinum hordeaceum (Anglice nominatum Porter) et aqua; et ubi febris fere aut omnino subsedisset, vinum aqua temperatum. Nullum tamen occurrit exemplum, ubi tantum vini, quantum quidam auctores memorarunt, exigeretur. Si aegrotus desiderium cujusque generis cibi aut potus unquam enunciaret, ut ad id decurreret, plerumque concessum est, quia appetitus regredientis signum et unum ex optimis indiciis erat, et raro quidquam sibi nociturum expetit; quum in febribus, quodcunque a natura ostendatur, raro damnum afferre,

plerumque observetur. Magnam quam exprimit aegrotus cupidinem regiminis frigidi, et carnis animalium fastidium, satis hoc testatur.

Medicamenta opiata omnino in gradu priore praetermissa, hic subinde imprimis efficacia erant; plerumque si intestina satis vacuefacta, et ab omni sorde, quam continebant vacua, et aegrotus, certe etiam tum aliquanto humidiore, inquietus esset; saepe enim notabamus, quum magna esset irritatio, propensionem ad delirium augeri; et haud dubito, quin multis in exemplis horum usus illo tempore infelicem exitum habuerit. Conjuncta cum *Diaphoreticis*, ut *Vino Ipecacuanhae*, *Vino Tartratis Antimonii*, vel *Aqua Aceti Ammonii* plerumque dedimus, quia haec prohibent ne *Opium* vasa cerebri incitet, et ejus officium turbet, et quasi sudorem excitant, non aucto calore nec incitatis corde et arteriis.

Levis tussis titillans aegrotum interdum non parum lacessebat, quae ex frigore per febris cursum oriri visa est; nihil tamen plerumque necessarium erat, nisi pediluvium et laneus pannus circum collum admotus.

Interdum quoque dolor inter reddendam uri-

nam torquebat; hunc tamen exiguae portiones spiriti aetheris nitrosi removebant.

Tumori abdominis forte occurrenti, leni medicamine purgante, et injecto simplice cassiae sennae infuso cum paululo salium cujusvis mediorum, aut olei ricini, plerumque obviam ibatur.

Finitis, quae de curatione hujus febris necessaria visa sunt, ultimum ad locum nunc venio.

Tertio, De praecavendi ratione paucis disputabo.

Quamvis huic parti rei propositae raro a medicis cura adhibita sit, ex eventu tamen periculoso, et saepe infelici a negligentia orto, quam maximi momenti rem esse et curam intentissimam mereri duco, quam lapsum in febrem iteratum plus periculi afferre, et diutius, quam febrem ipsam primam, manere constet.

1mo, Simul atque vires permiserint, aegrotum in conclave spatiosum et perflatu praeditum removere oportet, quo ab aliis eodem morbo laborantibus sejungatur, et, si fieri possit, excelsius

conclave ; tabum enim pestilens inferioribus aedium partibus inhaerere videtur. Jam revalescentes, quum in eadem aedium parte qua febre laborantes remanerent, relabi saepe vidimus.

2DO, Alvo convalescentis cura praecipue adhibenda est, ut rite quotidie descendat ; nam sine usu medicamentorum ut res postularet, torpet, quod ex privatione stimulorum in cursu febris solitorum nascitur. Ut minuantur quoque gradatim, et vi et usu oportet. Medicamenta, quibus plerumque usi sumus, erant *Sulphas Magnesiae* et *Pulvis Rhei*, seu exiguae portiones pilularum aloëticarum. Tormina hoc tempore forte occurrentia adhibito levi laxante tollebantur.

3TIO, De ratione victus maxima necessaria cura est ; quia negligentia hujus revalescentes saepe in febrem recidere, et exitum maxime infelicem sequi facile crediderim. Hic error ab interventu cognatorum sedulorum praecipue pendere videtur ; qui quam levissimo appetitus reditu laeti, cibo etiam laetissimo assidue insistunt, et ideo omnia febris indicia incipientia haud raro afferunt. Quum plerumque per re-

creationem acerrima fit victus appetitus, qui aegrotum ad justo largiorem cibi copiam sumendam hortatur; ab exiguo cibo principium fiat, qui ventriculi viribus sensim auctis, augeri potest.

Omnis bubula dura, seu fumo sive sale condita, caseus durus, et materiae oleosae evitari debent, quae ad ventriculum adhuc debilem turbandum operam conferunt. Aqua ex qua caro bubula decocta est, jusculum pullinum, maranta galanga, oryza, portiones exiguae bubulae seu vervecinae, panis fermentatus, et species juris gelati (vulgo dicti Sowans,) quod nutrimenti optimi est, et in ea regione multum usurpatur, concoctu facile est, et acorem in se jucundum habet.

Quantum cibi uno tempore sumendum, tot e rebus pendet, ut legem certam ferre non liceat.

Optimum procul dubio et maxime salutiferum potus genus est aqua frigida, quae corpus refrigerat, concoctionem promovet, et ventriculum firmat. Vinum hordeaceum (vulgo dictum Porter) aut vinum aqua temperatum parce praeberi potest, et etiam paulum spiritus stillati a-

qua large temperati, qui ventriculum leviter stimulet, et concoctionem promoveat, administrari subinde potest.

4TO, Pannum laneum omni genere alii vestimentorum sine dubio longe praestare, satis constat, et proxime cutem geri oportet: quamvis primo sensum molestum affert, hic tamen minime diuturnus est, et, non solum admodum grata, sed etiam prorsus necessaria, brevi evadet. Hac vestiti revalescentes, exercitationem sine periculo sub dio sumere possunt; licet enim sudorem libere eliciant, pannus tamen laneus totum absorbet, et servata aequabili temperie, corpus tepefacit et solatur; contra autem, quum indusium linteum humidum fit, cuti summae adhaeret, et sensum algoris et horroris affert, et pneumoniam etiam inducere potest.

Hic, quantum commodi pauperibus in vico Crifensi pervenit e Societate Foeminarum modo constituta, non silebo; quarum singulae domicilia miseriae et morbi visere non omittunt, et laboribus indefessis ad levandam aegritudinem, adhibitis cibo et vestimentis idoneis, multum contulerunt.

5TO, Exercitationi et animi et corporis cura quoque adhibenda est.

Exercitatio corpus confirmat, circuitum sanguinis promovet, et secernenda et excernenda excitat; diutius prolata tamen aut incitatior, malos eventus efficit, et magna debilitate sequente, corpus febri recidivae obnoxium reddit. Statim ante cibum, vel post, multum nocet; viscera enim chylopoietica fortasse turbat. Ad exercitationem primo levissimam, et deinde ad alacriorem confugere oportet. Rheda vehi lenissima est exercitatio, et quae initio experienda: equitandum est postea unde et animus et corpus exercentur: equitatio tamen, si sit violentior, ad concoctionem impediendam spectat. Ultima de qua dicam ambulatio est, quae longe omnium, aegroto fortiore evadente, saluberrima est, quia variis corporis conditionibus aptari potest. Ea, quae animum minime fatigantia occupant, et sermo cognatorum spe aegrum erigentium, aptissima sunt.

6TO, Et postremo, nimium aut parum somni aeque evitandum est: utrumque corpori perniciosum fit; illud valde laxat, solvit, et corpus

ignavum reddit; hoc aegrotum irritabilem fere semper efficit. Maxima ex parte tamen, quo debilius sit corpus, eo plus dormiendum; mature cubandum, et mane surgendum.

Hac dissertatione nunc ad finem perducta, quae supra dixi, investigationi obnoxia fore, et admodum vitiosa fortasse inventum iri, haud ignoro; sed qualiacunque sint, nunc cognitioni subjicio doctissimis et venerabilibus Praeceptoribus, fretus et confisus.

FINIS.